

Lunae die 21 mensis Iunii anno 1993
A.d. XI Kal. Iulias MCMXCIII


Melissa

54

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08
Editor Responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

Cappadocia




ne *in* *licet*
Haec Cena ^{ne} ~~admirari potest~~ ^{licet} in monasterio troglodytico vallis Gueureme.
Quid Melissa meditetur de Cappadocia, legatis p. 15.

DE ACADEMIA LYNCEORUM (ULTIMA PARS)

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE

ACADEMIA LYNCEORUM MAGIS MAGISQUE FLORET. Ab anno 1610, minus adversante Caesii familia, Lyncei iterum aperte congregantur. Iam narravimus eodem anno Iohannem Baptistam Portam Neapolitanum inter Academiae sodales receptum esse, primum multorum novorum sodalium.

Anno 1611 Galileus Galileus, cum Romam venisset, factus est sodalis non solum Lynceorum Academiae (25 m. Apr. 1611), sed etiam Collegii Romani, quod erat potens Iesuitarum institutum. Bellarminus, cardinalis magni ponderis in Curia Romana, favebat Galileo atque conabatur expostulationem contra eum post «Sidereum Nuncium» divulgatum depositam comprimere.



Galileus Galileus (1564-1642) - opus pictoris J. Sustermans (Florentiae in Museo Officiorum)

Eodem anno 1611 medici et botanistae Germani etiam facti sunt Lynceorum sodales: Iohannes Schreck Constantiensis, Iohannes Faber Bambergensis, Theophilus Müller Hersfeldiensis. Iohannes Schreck paulo post Iesuitarum ordinem ingressus est, quo facto Academiam relinquere debuit, ut postulabant statuta; nihilominus cum Lynceis cooperari perrexit ad «Rerum medicarum Novae Hispaniae thesaurum» augendum. Etiam ex Sinis, cum illuc missus esset, multas observationes de medicis medicaminibusque ad Academiam attulit. Iohannes Faber docebat in Romana universitate Sapientiae atque hortum botanicum

pontificalem administrabat; anno 1612 factus est Academiae Cancellarius generalis.

Sodalium numerus continuo augetur; anno 1625 sunt triginta duo.


Anno 1612 Iohannes Baptista Porta Neapoli condit lyceum secundum Caesii Principis vota. In aliis urbibus etiam, sicut Augusta Vindelicum, conamina fiunt ad lycea condenda. Quae conamina ad nullum exitum pervenerunt, cum res nimis sumptuosa esset pro opibus privatae personae. Etiam Neapolitanum lyceum nihil produxit, cum Porta nollet cum aliis indagaciones suscipere malletque, contra Principis praecepta, arcanas investigaciones solitarie perficere.

Galileus certe inflexit Academiae mentem. Methodo enim Galilei res pensabantur trutinā observationis visualis. Qua methodo inducta, indagatio facta est empirica, quae antea potius erat esoterica. Oculus Lynceorum acutior factus est duobus instrumentis opticis, quibus Academia nomen hodiernum dedit. Instrumentum quod anno 1609 Galileus confecerat atque ad caelum direxerat, ipse sermone vernaculo «cannocchiale» (i.e. canna ocularis) et Latino «tubum opticum» vocabat.


Heckius, unus ex Academiae conditoribus, in epistula Galileo scripta (1614?; unica est quae adhuc servetur) Galilei instrumentum vocat «ouranoscopium». Definitivum nomen, quod usque ad nostra tempora adhibetur, ab ipso Principe Caesio ei tributum est, id quod Latine optime narrat Iohannes Faber: «Huic instrumento optico Telescopii nomen Princeps ab usu pluries repetito indidit, quod illico omnibus ita placuit et acceptum fuit, ut iam per Urbem non modo, sed orbem etiam percrebuerit.» (cfr imaginem p. 3).

Galileus aliud instrumentum opticum extruxit, ab Antonio van Leeuwenhoeck antea inventum (cfr Melissam 53), quo minimae res tanto maiores apparebant, ut visibiles fierent. Anno 1624 huius generis instrumentum Friderico Caesio dedit. De nomine huic novo instrumento dando tunc disputaverunt Lyncei. Fabius Colonna





*Galilei tubus opticus sive telescopium.
Quid fiat intus, infra explicatur.*



$\alpha' / \alpha = \text{amplificatio}$
 $\alpha = \text{oculorum angulus, oculo nudo}$
 $\alpha' = \text{oculorum angulus per tubum opticum}$

Neapolitanus proposuit «enghiscopium», sed nomen «microscopii», quod attulit Iohannes Faber, acceptum est atque adhuc est in usu.

Caesius Princeps anno 1610 valuit singulare manuscriptum emere. Eius auctor Leonardus Antonius Recchi, medicus Neapolitanus, cum in Hispania versaretur, inspexerat innumerabilia documenta spectantia ad plantas animaliaque Mexicana, quae Franciscus Hernandez medicus Toletanus collegerat cum ipse per septem annos in Novo Mundo mansisset. Inde ortum est consilium maximi operis c.t. «Rerum medicarum Novae Hispaniae thesaurus». Ad quem componendum Lyncei non solum adhibuerunt manuscriptum Recchianum sed ipsi in Hispania documenta Francisci Hernandez inspexerunt. Hoc opus tantum anno 1651 editum est, Friderici Caesii «Tabulis phytosophicis» auctum, quae numerantur inter prima conamina facta ad plantas in ordines distribuendas.

28

ACADEMIA FAVET DOCTRINAE ASTRONOMICAE GALILEI, cuius telescopio demonstrata est Copernici hypothesis heliocentrica.

De lunae asperitatibus et ceteris miraculis, quae invenit Galileus, Caesius Princeps conatur

obtinatam Iulii Caesaris Lagalla dissensionem imminuere atque potentis Iesuitae P. Grienberger sententiam detegere.

Causa est gravis. Perfectus enim Aristotelicus mundus iam non potest congruere cum vallibus montibusque in Luna vel cum macula in Sole, quae omnia telescopio demonstrantur. Contra hanc evidentiam potentissimi homines Aristotelicam fictionem desperanter defendunt.

Anno 1611 Venetiis divulgatur liber c.t. «Dianoia astronomica, optica, physica» auctore Francisco Sizi. Suum librum dedicavit Iohanni de Medicis, qui solus totius ducum familiae Galileo non favet. Hoc scripto primum minaciter monetur recentia inventa omnino discrepare cum Sacra Scriptura. Ipse Sizi paulo post habuit finem horribilem. Nam capite damnatus est ut conscius maleficae mareschalcae d'Ancre (Concini uxoris) atque supplicium rotae Parisiis anno 1618 subiit. Homines illius temporis non erant animi teneri... quod, de illius aetatis eventis iudicaturi, in mente habere debemus.

Anno 1612 Iulius Caesar Lagalla, qui in studiorum universitate Sapiientiae docet, Venetiis in lucem edit librum c.t. «De phoenomenis in orbe Lunae novi telescopii usu a D. Gallileo Galileo nunc iterum suscitatis physica disputatio». Qui

liber unus est ex multis qui post «Sidereum nuncium» divulgatum conscribuntur ad tollendam evidentiam telescopio allatam. Antea Lagalla primis Lynceis favebat, sed Caesius Princeps inane conatus est eius sententiam hac in re mutare.

Eodem anno Christophorus Scheiner Iesuita Augustae Vindelicorum in lucem edit librum c.t. «Tres epistolae de maculis solaribus scriptae ad Marcum Velsorum». Cui operi verum nomen non subscribit, cum nolit Pater Provincialis, sed ficticio Apellis; autumat maculam non esse defectum Solis sed tantum umbram cuiusdam corporis caelestis in Solem proiectam.

Huic thesi Galileus responsum praeeparat Lynceis iuvantibus. Anno 1613 Romae cura sumptibusque Academiae in lucem editur «L'istoria et dimostrazioni interno alle macchie solari», ubi Galileus demonstrat maculam re vera defectum esse superficiei Solis.

DE NATURALI CUPIDITATE SCIENDI. Caesius Princeps mense Ianuario anno 1616 magni momenti orationem in Academia habet, cuius argumentum est «De naturali cupiditate sciendi». Qua in oratione non ipsum Aristotelem condemnat, sed

Aristotelismum, qui tunc viget. Omnino repudiat veterum scriptorum auctoritatem. Incitat eruditos ad «magnum, veridicum universalemque librum Mundi» legendum atque ad exitus suarum indagatonum divulgandos: scientia est propaganda.

Sed imminet procella Academiae. Nam eodem anno 1616 curia Romana relictit theoriam heliocentricam. Cardinalis Bellarminus, quamquam Galileo favebat, coactus est eum vetare doctrinam heliocentricam sive verbis sive scriptis provehere. Monet indagatori rerum naturalium tantum licere hypotheses proferre; veritatem unicum inesse in Sacra Scriptura, quam solis theologis licet interpretari. Congregatio Indicis prohibet nefastum Copernici opus c.t. «De revolutionibus orbium caelestium» (1543) diutius circumferri. Hac in re incaute egerat Galileus, quamvis Caesius Princeps ei suasisset ne palam mentionem faceret de Copernicana theoria heliocentrica.

COPERNICI CONDEMNATIONE VALDE CONCUSSA EST ACADEMIA. Etiam Lucas Valerius mathematicus, quamvis iam diu Galilei amicus, Academiam propter religionem reliquit, id quod legimus in relatione Academiae sessionis die 24 m. Martii a. 1616 habitae, quam conscripsit Iohannes Faber:

«In aedibus Principis, praesente D. Galileo, Francisco Stelluto, D. Angelo de Filiis et me ipso, fuit decretum Dominum Lucam Valerium non esse delendum ex numero Lynceorum et eorum Catalogo sua propria manu subscripto; non quod hoc et ulterius quid [non] mereatur, sed quia hoc poenae loco ipsi tribuatur, ne ipsi sit licitum ut aliis, futuris in annis, hoc ipsum tentandi; prohibuerunt bene ipsi commercium vocis activae et passivae ut vocant, et conventum Lynceorum. Et haec omnia propter haec: primo quia nullam causam omnino habuit sese absentandi vel eximendi ab Academia; secundo, quia hoc ipso, quod noluit esse Lynceus, reddit ipsam «Accademia» culpabilem, quasi commiserit delictum aut in ipsa dicebat D. Galileum ceu academicum tenere; tertio, quia ipsum D. Galileum insimulavit erroris et magni delicti, cum tamen D. Galileus hanc ipsam pro opinione tantum haberet, et numquam nisi se amicum D. Galileo monstrasset.»

Caesius Princeps tamen spem non deposuit atque pro certo habebat «libertatem philosophandi in naturalibus» persequendam esse, distincta a fide scientia. Oportebat tamen caute et gradatim agere, quin etiam nonnulla temporarie concedere.



Ad Galileum fulciendum, princeps novos sodales in Academiam accepit inter quos Verginium Cesarini et Iohannem Ciampoli, religiosos saeculares, atque Cassianum dal Pozzo, antiquarium Romanum. Qui viri intentis viribus conati sunt conflictionem scientiae et theologiae impedire. Adhuc servatur epistula c.t. «De coeli unitate» quam Caesius ad Cardinalem Bellarminum misit (14 Aug. 1618), quae est synthesis perditis operis c.t. «Coelispicium».

Galilei theses de cometis redolere theoriam Copernici et haeretici Kepleri. Galilei thesis, ait, similis est thesi materialistae Cardani. Grassi profert decretum contra theoriam Copernicanam anno 1616 factum.


Lyncei, qui funestum huius controversiae exitum timent, iterum suadent Galileo ut per personam interpositam respondeat. Galileus tamen statuit aperte respondere et per tres annos opus praeparat c.t. «Il Saggiatore nel quale con bilancia esquisita e giusta si ponderano le cose contenute nella Libra astronomica di Lotario Sari Sigensano». Hic liber, Verginio Cesarini dedicatus, ab hoc ipso et a Iohanne Ciampoli et a Caesio omnibus verbis expurgatur quae auctoritatem ecclesiasticam offendere possint. Opus editum est anno 1623 cura et sumptibus Academiae.

ANNO 1618 APPARENT TRES COMETAE, eventum maximi momenti propterea quod tunc primum telescopio observari potest. Quo statim renovatur controversia inter Aristotelicos et novae astronomiae coryphaeos.

Inter Aristotelicos Oratius Grassi Iesuita in libro c.t. «De tribus cometis anni MDCXVIII disputatio astronomica publice habita in Collegio Romano Societatis Iesu ab uno ex Patribus eiusdem Societatis» (Romae 1619) insectatur cogitatum Copernicanum atque indirecte Galileum Academiamque, qui in eo nituntur. Grassi autumat cometas inter Lunam et Solem sitas esse, ubi sicut planetae in orbe circulari circum Terram versantur; negat etiam eas propria luce splendere. In opere suo Grassi laudat telescopium sed eius auctoris nomen tacet.

Qui liber suscitatur responsum, quod sub titulo «Discorso delle comete» (Florentiae 1619) edit Marius Guiducci. Galileus tamen magnam partem huius operis ipse conscripsit, sed, suadente Caesio, eius nomen non apparet.

Puncti Iesuitae celerrime respondent: «Libra astronomica ac philosophica qua Galilaei Galilaei opiniones de cometis a Mario Guiduccio in Florentina Academia expositae, atque in lucem nuper editae, examinantur a Lothario Sarsio Sigensano» auctore Oratio Grassi, iam anno 1619 Perusiae editur. In prima parte refertur de nonnullis experimentis physicis quae in Collegio Romano fecerat, praesentibus Verginio Cesarini et Iohanne Ciampoli Lynceis. In altera parte Grassi instillat



Μελισσογραφία. *Facere non potuimus quin ostenderemus hanc pulchram... Melissa.*

URBANUS VIII PAPA LYNCEORUM AMICUS. Mense

Augusto anni 1623 Cardinalis Maffeus Barberini fit Papa et nomen Urbani VIII sibi assumit. Amicus est multorum Lynceorum. Cesarini et Ciampoli potentiores fiunt in Curia Romana. Franciscus Barberini, Papae nepos dilectus, opera Cassiani del Pozzo utitur. Sic oritur mirabilis opportunitas, qua Lyncei sperant fore ut tandem aperte exhibere possint suas opiniones de philosophia naturali. Franciscus Barberini accipitur inter Academiae sodales. Opus c.t. «Il Saggiatore» dedicatur Urbano VIII. Qui tamen liber ita erroribus infelicititer scattit ut Galileus «Errata» circummittere debeat.

Frequens Academia nunc cum Galileo cooperatur in indagationibus mathematicis, physicis, mechanicis et astronomicis. Praeterea in naturalibus observandis non solum mirabilia retinentur sed etiam humilliora. Cottidiana circumstantia digna videntur quae examinentur. Caesius monet «minima» esse observanda, quia in minimis invenitur explicatio maiorum rerum.

Anno 1625 Lyncei duos libros Papae Urbano VIII offerunt q.t. «Melissographia» et «Apiarium»; ambo partes sunt maioris propositi quod est

«Theatrum totius Naturae», quod iam ab anno 1615 Caesius in animo habet suscipere. Huius operis imperfecti octo volumina praeparatoria servantur in Bibliotheca Instituti Franciae. Quibus monstratur quanto studio Caesius in has indagaciones incubuerit. Caesius, cum Galilei methodum in botanica adhibere statuerit, ab anno 1623 operam dat ad «Theatrum plantarum vel Syntaxin Plantariam» colligendam, quae constat ex 1900 plantarum imaginibus; nonnullae coloribus sunt illustratae.

••

TAMEN HOSTES ACADEMIAE NON SUNT SOPITI. Oratius Grassi librum conscripsit, quem ei non contigit Romae edere, sed tantum Parisiis et sine superiorum licentia ecclesiasticae permissione. Titulus est: «Ratio ponderum librae et simbellae Galilei Simbellatore, de cometis statuendum sit, collatis utriusque rationum momentis, Philosophorum arbitrio proponitur»¹ (Lutetiae Parisiorum 1626).

Paucae insunt disputationes scientificae. Propositum potius est monere de periculo imminente propter theses libri c.t. «Il Saggiatore». Nam interpretatio atomica caloris et lucis, quam profert Galileus, congruere non potest cum officiali interpretatione transsubstantiationis panis et vini in corpus et sanguinem Christi in Eucharistia.

Galileus interea conscripsit opus suum maius c.t. «Dialogo dove ne i congressi di quattro giornate si discorse sopra i due massimi sistemi nel mondo tolemaico e copernicano, proponendo indeterminatamente le ragioni filosofiche e naturali tanto per l'una quanto per l'altra parte». Ex epistula a Galileo ad Caesium die 24 m. Dec. a. 1629 missa patet opus cura et sumptibus Academiae editum iri.

••

FRIDERICUS CAESIUS PRAEMATURE MORITUR; infeliciter enim aegrotabat atque die 1 m. Aug. a. 1630 mortem obit, 45 annos natus. Galileus paulo post Romam petit, ubi res invenit valde mutatas. Academia non solum orbaturo cauto duce suoque Maecenate, sed etiam perdit favorem Curiae Romanae. Nam, impellentibus ordinibus religiosis, Iesuitis praesertim, libertas philosophandi etiam in naturalibus videtur intolerabilis pro ratione Contra-Reformationis. Ad papalem favorem servandum, Lyncei proponunt ut Franciscus Barberini, Papae nepos, Principi Caesio succedat, sed inane. Is negans finem imponit Academiae.

Quae rerum mutatio funesta fuit Galileo. Cum



eius «Dialogus» de duobus maximis systematibus mundi Florentiae anno 1632 in lucem ederetur, fieri iam non poterat ut litem vitaret. Haeresiae insimulatus, condemnatus est anno 1633 ab auctoritatibus ecclesiasticis Romanis atque opiniones suas publice exuere potius maluit quam eandem sortem ac Iordanus Brunus subire.

Mortuo Principe Caesio, Academia dissolvitur. Nonnulli tamen sodales opera incohata perficere conati sunt. Sic factum est ut «Thesaurum Mexicanum» anno 1651 in lucem ederetur, opera curaque Francisci Stelluti et Cassiani del Pozzo.

••

•• ••

TALIA FUERUNT FATA PRIMAE ACADEMIAE QUAE «SCIENTIFICA» SENSU MODERNO DICI POTEST. Artissime coniuncta est cum Galileo qui tubo optico suo non solum perfectum Aristotelicum mundum fregit sed praesertim theologorum omnipotentiam doctrinalem labefecit.

Anno 1633, cum Ecclesiae Romanae principes Galileum cogerent qui theoriam Copernicanam publice negaret, Keplerus in hac theoria nitens iam ante duodecim annos divulgaverat «Epitomen



astronomiae Copernicanae», ubi mathematice describuntur orbis omnium planetarum circum solem.

Sic factum est ut lata fossa inter scientiam experimentalem et rigidam theologorum doctrinam duceretur, quae nondum tota completa est.



ADNOTATIO

¹ Cum parum intellexerem, qui significaret hic titulus, Doctorem Caelestem Eichenseer et Professore Theodoricum Sacré, quibus gratias ago plurimas, interrogavi, qui de vocabulis et contextu me monuerunt haec:

«Simbella est id quod Francogallice dicitur *trébuchet*, id est *statera aurificis*, et *simbellator* videtur is esse, qui *simbella* utitur.» (C. Eichenseer, ep. 22 V 1993).

«Horatius ille Grassi, Societatis Iesu sodalis (qui velato nomine Lotharii Sarsii Sigensani adversus Galilaeum nonnumquam egit) natus est Savonae a. 1583, denatus Romae a. 1654. Libri, quem dixisti, titulum offendi integrum in C. Sommervogel, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, vol. III. Ita igitur audit (nec grammaticae peccat):

Ratio Ponderum Librae et Simbellae, in qua quid e Lotharii Sarsii *Libra Astronomica* quidque e Galilei Galilei *Simbellatore de cometis* statuendum sit collatis utriusque rationum momentis philosophorum arbitrio proponitur (Lutetiae 1626¹, Neapoli 1627²).

Haec ut erant inventu perfacilia, ita multo mihi difficilior videbatur de verborum *simbellae* et *simbellatoris* significationibus diiudicare,

praesertim cum deesset tempus ad Crassi opus legendum evolvendumve Galilaei librum, cui Crassus responderat. Crassus, ni fallor, Galilaeani libelli titulum *Il Saggiatore* et consulto et perperam ita interpretatus erat, ut *praegustatorem* sive *libatorem* intellexeret. Inde ortus est verborum lusus, cui *simbella(tor)* accessit. Subaudiuntur voces Italicae *zimbellare* et *zimbello*. Ast equidem, ut sum rerum astronomicarum imperitissimus, ita (libellis ne lectis quidem) nihil certi affirmare audeo. Ceterum Grassi opusculum denuo est impressum inter Galilaei *opera omnia* (vol. VI, Florentiae, 1968), quorum in plerisque studiorum universitatum bibliothecis est copia; fortassis utilis etiam erit liber c.t. *Scienzati del Seicento*, A cura di M.L. Altieri Biagi - B. Basile, Mediolani, Neapoli 1980, in quo reperiuntur opuscula Friderici Caesii et Marii Guiducci; inibi mentio etiam saepiuscule est facta Horatii Grassi.» (Th. Sacré, ep. 19 V 1993).

EUGENIUS CAUCHY POETA LATINUS

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

I. DE NEPOTE RAPTO ET RECEPTO AVITUM CARMEN. L'ENFANT PERDU ET RETROUVÉ. POÈME LATIN PAR SON GRAND-PÈRE ([PARISIIS], 1865)

a. *Cunae silentes*¹

Ille cur nostro vacuus puello
lectulus? Matris modo blandientis
osculis plenus, querulae obstrepebat
murmure linguae.

Nunc silet. Magnus subit ossa terror.
Attamen nullum domibus paratur
funus et nostrum Libitina limen
nulla frequentat.

Sed malum leto gravius: per urbem
frigidus rumor volitat. Paterna
mens stupet luctu refugitque atrocem
discere casum.

b. *Infantulus raptus*²

Sequana regales qua praeterlabitur hortos
et gratam praebet silvis sub grandibus umbram,
nutricis gremio recubans, sine voce puellus
mollia languidula solvebat membra quiete,
lacte gravis, roseo spectabilis ora decore.

Hunc videt et primo insanit muliercula visu;
et vult esse suum. Crudeli abducere furto
cogitat infantem duri muliercula cordis,
scilicet ut turpes mercetur fraude hymenaeos
mentitoque ferum partu deludat amantem.

Extemplo struit insidias et nomen amitae³
dum simulat, verae matris secura dolorum,
composito accedit vultu, fictisque tenellum
blanditiis mulcet, ludens. Quid multa? Procaci
insidiosa dolo nutricem vafra fefellit.

Ipsa fugit, collo cui pendet non sua proles -
qualiter arborea dum flet Philomela sub umbra
detrahit implumes puer, aetas improba, nidos.

¹ Strophae Sapphicae.

² Hexametri.

³ Altera huius vocabuli syllaba perperam producta est.

⁴ Adonia.

⁵ Disticha elegiaca.

c. *Parens anxia*⁴

Attamen absens
computat horas
tardaue morbo
anxia mater
maeret anhela
mente laborans.
Saepe morantis
nomina nati
ore vocavit;
plurima palmis
blanda puello
basia misit
spemque propinquam
carpere gaudet.
Stans et aperta
nixa fenestra
omnia circum
compita lustrat;
omnibus auris
commodat aurem.
Parcite, venti,
parcite tristes
matris ad aurem
ferre susurros!
Murmura prudens
temperet aer;
ipsaque tanti
conscia luctus
terra silescat.

d. *Peior funere nuntius*⁵

Cuncta silent, ast hora fugit. Iam vespere caelum
caligat; solitus cessat in urbe fragor.
Apparet nullus, via quantum est longa, puellus;
nutrix nulla domum pondere tarda redit.
Sola venit nox atra polo, quae pectora curis
exacuens, omnes auget acerba metus.

Morbi oblita gravis nato ruit obvia mater;
stare loco nescit, fertque refertque gradum.
Sed vix interius limen male firma reliquit,
insuetos vultus cernit adesse virum.
Omnia non solito sentit de more moveri;
quidquid id est, aliquid flebile turba tacet.

«Aprecor, a miseram», exclamat, «ne ludite matrem!
Numquam verus amor dicere vera timet.
Hi norunt oculi lacrimas, haec pectora planctus.



Eheu! sors gnaros laedit amara minus!
Ni fallor, quae mater eram nunc orba supersum.
Funere quid peius? Dicite vera mihi!»

Sic aegram fallit mentem miserabilis error;
nulla audet veros pandere lingua metus.
Ut tamen infandae penitus patuere ruinae,
esse aliquid peius funere sensit amor.
Deficiunt oculi, frigent sub pectore vires,
coniugis inque manus en moribunda cadit.

Tu quoque, tu nostros auxisti, nata, dolores;
nec semel orbatu forte fuisset avus,
ni Deus omnipotens, luctus miseratus acerbos,
caelestem medicans ipse tulisset opem.

Absentis cunas vacuas amplexa puelli,
ad caelum tendis flensque tremensque preces.

2. VIDUI DESIDERIA. CONSOLATORIUS LIBER. MON VEUVEGE.
REGRETS ET CONSOLATIONS ([PARISIIS], 1866)

*a. Praefatio*⁶

O quicumque leges magni haec monumenta doloris
et folia evolves fletibus uda meis,
si miseret nostri, si te mortalia tangunt,
pro dilecta anima tu quoque funde preces.

*b. Ad coniugem immatura morte praereptam*⁷

Artes ipse suas si me docuisset Apelles,
pinxissem vultus, dulcis amica, tuos.
Si mihi Praxiteles excudere molliter aera
vivaque monstrasset fingere signa manu,
argentum Pariusque lapis circumdataque auro
gemma laborarent dulce referre caput.
Aedibus adstaret spirans de marmore imago
osque tuum ad nostras ferret onyx lacrimas.
Si cantu mulcere feras et prona morari
scirem carminibus flumina Threiciis,
saepe tuas vidua canerem testudine laudes
iamque esses misera clarior Eurydice.
Si mihi rem tanto aequasset fortuna dolori
et pleno cornu larga dedisset opes,
splendida regali tibi surgeret urna sepulchro,
Mausoli tumulus cederet ille tuo.
Ast ego nec voces fidibus sociare canoris
norim nec tigres ducere carminibus.
Non manus haec miro tabulas animare colore,
aere nec aeternum condere posset opus.
Nec tumulum fastu licet exornare superbo;
vix parvum in viridi caespite marmor erit.
Saltem, si qua fuit vivax in pectore flamma,
sit tibi pro grandi munere noster amor.
Et si qua e nostris mansura est pagina chartis,
o utinam nomen possit habere tuum!
Illa quidem saeculis non evolvenda futuris
pagina, sed natis saepe legenda meis.
Forsan et ignotus lector lugubre volumen
(quem modo non fuscus terreat iste color)

inspiciens, nostri descendet in intima cordis,
quae secreta oculis pandit amica manus,
et fata uxoris miserans crudelia dicet
«Ah quantum ista suo vixit amata viro!»

*b. Vidui orbitas. Kalendis Ianuarii 1864*⁸

Ecce lux anno redeunte prima
miscet immensam strepitum per urbem.
Porticus implet foribusque anhelat
turba clientum.

Sed quid ad nostros ea festa luctus?
Maestus in laeto quid agam tumultu,
tristium quando seriem dierum
innovat annus?

I salutantum fugiens catervas,
parva semotae pete rura villae,
si queat curis gravibus mederi
mitior aer.

Gaudet hic caelo meliore campus;
hic iacent cari cineres meorum,
quos super terrae tumulus recenti
caespite turget.

Hac humo, fili, placide quiescis,
rapte tu nostrae, iuvenis; senectae,
quem velut foeni breve gramen, una
messuit hora.

O dies multum lacrimosa! Mane
flos eras, vidit tua fata vesper.
Ipsa mors pallens metuit decoros
tangere vultus.

Nigra funebri tibi lucet igne
taeda, quae tectis melius coruscans
debut fausta face coniugalem
ducere pompam.

Te Deus sponsum vocat in beatas
aetheris sedes, ubi corde mundi
nuptias caste celebrant perennes
Virginis Agni.

Tutus incedis per amoena caeli;
neve ad aspectum paveas Tonantis,
filio se dat comitem vocanti
obvia mater.

Cur ego in terris maneo superstes?
Non bis infando perii dolore,
quindecim conflux viduus per annos,
nunc pater orbus?

- 6 Disticha elegiaca.
7 Disticha elegiaca.
8 Strophae Sapphicae.

Quis fuerit E. Cauchy,
legatis p. 14

DE COQUINA ROMANA

RETTULIT FRANCISCA DERAEDT



His foliis non solemus libros laudare alia lingua conscriptos ac Latina. Hodie tamen liceat - nulla lex sine exceptione - librum Francogallicum in astra tollere. Est

liber perpulcher, pretii non parvi; eum dono detis amico, qui simul colat et coquinam et antiquitatem, aut, cur non, vobis ipsis, cum etiam sibi nonnumquam sit gratum faciendum (Nicole BLANC, Anne NERCESSIAN, *La cuisine romaine antique*, Gratianopoli (Grenoble), Glénat-Faton, 1992, 224 p.).

Opus initium cepit ante viginti annos, cum iuveni magistrae lingua Latina primum esset docenda. Infeliciter eius discipuli bello Gallico Catilinaeque coniuratione delectari nolebant. Itaque illa operam debuit dare ut eos alliceret. Stratagemata quaesivit. Diu sudavit. Tandem aliquando, Apicium legens, de cibis cogitavit. Hoc erat attractivum!


Atque res subito mutatae sunt. Discipuli hamum voraverunt. Assidue pervestigaverunt quid Caesar post acta proelia comederet, quod vinum Catilina inter secretos consessus praeberet coniuratis. Postea voluerunt ciborum conditionem ipsi experiri.

Labentibus annis, congestae sunt formulae coquinariae simul cum documentis archaeologicis, historicis, photographis, iconographicis. Verus

thesaurus, ergo, qui hoc libro pulcherrime est expositus. Omnia insunt, quae pertinent ad antiquam coquinam: fontes nostri, qui sint et cuius utilitatis; experimenta, quantum sint dubia; index necessariorum condimentorum; supellex; textus non solum Apicii, sed Plutarchi, Martialis aliorumque; Romanorum culinariae consuetudines; modus agendi; insuper imagines perpulchrae.


Cupitisne cibos Apicianos experiri? Res periculosa. Nam textus est intellectu saepe difficilis, condimenta insolita, explicationes nimis breves. Quae incommoda ab auctrice feliciter levantur; ter enim proponuntur formulae: primo ipse textus Apicianus, secundo versio Francogallica, tertio eadem formula ita adaptata ut nobis sit comestibilis. Adiungitur iudicium: sic in antecessum iam scimus caseum melle conditum nobis sine ullo dubio tam sapidum fore, ut poeticis afficiamur sensibus, et patinam solearum esse aliquid boni etiam si alios pisces in locum soleae substituimus.

Alia non sunt ita commendabilia, sicut formula quaedam, cui hic titulus datus est: «*Recette à ne pas faire*». Nec sine causa: nam insunt et varii pisces, et cerebellum porcinum, et iecur gallinaceum, et ova, et caseus, haec omnia vino melleque commixta... Ita est! In eodem catino! Simul! Si hanc rem parum delicatam tamen vultis coquere, nolite ultimum Apicii consilium neglegere, quod est: «adordinabis». Nam oculis etiam, ut ita dicam, solemus comedere...



Talus osseus (aetatis Romanae, repertus in Aegypto). Ovis erat lactis praecipuus fons.


Butyrum autem iam temporibus antiquis indicabat litem inter regiones septentrionales et meridionales. Plinius mirabatur quod barbari, quamquam sciebant butyrum conficere, caseum contemnebant. Ipsi Romani etiam noverant butyrum, quo uti solebant, non in culina, sed ad unguenta et medicamina praeparanda. Huius differentiae causa non solum pertinet ad gustum, sed praesertim ad temperaturam.






Opus musivum in Tunesia repertum. In calidis regionibus, ubi deest aqua, satis difficile est anates alere. Itaque eo exquisitiores habentur, quo rarius inventiuntur. Apicius saepe suadet ut anates aqua bullienti coquas antequam asses: qua subtilitate cibus tenerior fiet.

Ceterum Romani varia volucrum genera solebant comedere: turdum, pullum gallinaceum, gallinam Africanam, ficatum... Usque adhuc assentimur. Sed minus intellegimus quo modo caro pavonina eis placuerit, sive - horresco cogitans - lingua phoenicopteri.





Plutarchus narrat Pompeio aegrotanti medicum pro curatione praescripsisse, ut turdum comederet. Cum aestivo tempore nullus turdus inveniri posset, praeter eos, quos Lucullus domi suae alebat, Pompeius iratus est quod sanatio a Lucullo penderet. "Ergo, ait, nisi Lucullus esset delicatus, Pompeio moriendum esset?" Atque cibum inventu faciliorem petivit.




In operibus musivis, cochleae (Aquileiae, IV saec.) et perdices (Hispania, IV saec.). Trimalchio cochleas post cenam afferri iubebat, quod corpora excitarent ad voluptates.

Romani non solum cochleas indigenas solebant colligere, sed etiam ex Africa importabant, quas in cochleariis alebant. Hic cibus non habebatur exquisitus, teste Martiale (XIII 53): "Cum pinguis mihi turtur erit, lactuca valebis / et cocleas tibi habe. Perdere nolo famem."




Romani libenter mutabant habitum ciborum. Exemplo nobis sit "salsum sine salso" (cfr Apicium, 430); salsum est piscis salsus - aliquid sapidissimi, quod infeliciter putatur valetudini nocere. Itaque ad rem imitandam alia proponuntur: sive pisces recentes, sive cinarae, sive iecur. Quo verior fiat, Apicius proponit ut patina figuretur in formam piscis.



Nunc ad caccabos! Vobis propono "patinam solearum" (cfr Apicium, 155). Secetis tres soleas in habenulas. Addatis garum (duo cochlearia), oleum (paululum), vinum (unum hyalum). Coquatis in caccabo nonnullas minutas. Postea ius a pisce separetis. Iuri addatis origanum, ligusticum, piper, 6 ova. Refundatis super soleas atque totam rem in furno coquatis.

Bene sapiat!



DE USU LINGVAE GRAECAE ANTIQUAE

SCRIPSIT THOMAS FUCHS

Quomodo inter seminarium Vindobonense (aestate anni 1991 habitum) usus linguae Graecae antiquae doctus sit, et Latine et Graece narrat Thomas Fuchs, vir utriusque linguae peritus, in libello viginti paginarum. Huius libelli textum Latinum vobis proponimus, qui est summa narrationis Graece conscriptae. Nec facere possumus, quin paucas addamus Graecas lineas, ut Graecitate paululum delectemini.

Eos autem lectorum, qui totum textum Graecum cupiunt legere, hortamur ut ipsum auctorem interro-

gent; cuius haec est inscriptio cursualis: 16 Ausserhalb, D-6326 Romrod 1.

Textui etiam subiunctae sunt multae adnotationes (numero 619) quibus auctor ostendit eis, qui sermonem Latinum Graecumve adhibere volunt, genuinam linguam esse colendam. Ad quem scopum adipiscendum una est via: libros Latinos Graecosve quam plurimos legere.

Ultima adnotatio iis, qui Graece loqui cupiunt discere: Thomas Fuchs inter proximum seminarium Hagense (cfr p. 16) institutionem Graecam curabit.

ΠΩΣ ΔΕΙ ΤΟ ΕΛΛΗΝΙΖΕΙΝ ΔΙΔΑΣΚΕΙΝ

Mediate anno MM DCC XL IV post Romam conditam ii, qui Latinitati Vivae Provehendae Associationis participes sunt, seminarium septem dierum instituerunt in vico quodam prope Vindobonam sito, qui a sancta cruce nomen acceperat. Inter hoc seminarium etiam Graece loquendi institutio praebita est. Quomodo haec facta sit, legite nunc, quaeso, in eo libello, qui est de ratione docendi usum linguae Graecae.

Sed quod sunt quidam eique multi, qui, cum propter Latine loquendi sapientiam praeter ceteros floreat, minus in Graece loquendo versentur vel omnino huius sapientiae doctores esse nolint, quique, cum ipsi doctrina et ingeniis abundant, a lingua Graeca quodam animi iudicio ita abhorreant, ut hanc dicendi exercitationem exagitent atque contemnant, meum esse existimo hoc libello efficere, ut, qui linguam Latinam et in scribendo et in loquendo adhibere velint, cognoscant et consentaneum esse etiam linguae Graecae usum ad vitam revocari et fieri posse, ut paene eodem modo inter nos Graece colloquamur ac Latine. Nam trium linguarum, quas discipuli, qui gymnasia humanistica frequentant, discunt, et lingua Hebraica et Latina iam ad usum revocata est. Quapropter mirum est exiguum philologorum numerum lingua Graeca uti velle, praesertim cum iam antiquis temporibus studium linguae Latinae et Graecae arte inter se coniunctum fuerit.

Etiamque nostra tempora patiuntur cum naturam rerum tum ea, de quibus cottidie disputamus, vetere illa excellentique lingua Graecorum exprimi posse et ad nostrum usum moremque transferri. Cuius linguae praestantiam excellentiam incredibilemque pulchritudinem nemo non admiratur nisi qui satis bonam sufficientemque ad omnis res exprimendas scientiam huius linguae nondum habet. Quis igitur est, qui neget absurdum esse illud Ciceronis linguam Latinam etiam locupletiore esse lingua Graeca?

•••

Quae cum ita sint, primum ii, qui hunc libellum legunt, quod fortasse nesciunt iam esse, qui in Graece loquendo versantur, de eis rebus certiores fient, quas ii gerunt, qui Graece loqui sciunt. Duo enim iam sunt circuli Graece loquendi in Germania occidentali, quorum alteri studiorum director doctor Krüger Hannoverensis (17 Schellhornweg, 3004 Isernhagen 5), alteri professor Görgemanns Edelbergensis (8 Werderplatz, 6900 Heidelberg), magnus orator et perfectus magister, praest, quorum domus cunctae Germaniae quasi ludii quidam patent atque officinae dicendi.

Harum urbium Hannovera, quod est caput provinciae Saxoniae inferioris, in septentrionali parte Germaniae sita est, in quam linguae Graecae



magistri, qui in hac regione habitant, Graece collocutum convenire solent. Colloquuntur autem partim de rebus privatis, partim textus Graecos, quos domi praepararunt, praelegunt inque sermonem Atticum convertunt, velut Homerum, Aristophanem, carmina Anacreontea. Et quod colloquia fiunt privatis in domibus eorum, qui circuli participes sunt, non commissatum eunt in tabernas, sed hospites singuli alios excipiunt mensa conquisitissimis epulis exstructa.

Sed de Hannoverensibus hactenus! Nunc ad professorem Görgemanns veniamus! Qui paucis annis ante circulum instituit, in quo de rebus antiquis disputatur Graece; antea modo complexus est initio singularum praelectionum ea, quae in praeterita praelectione dixerat, verbis Graecis. Sic fit, ut quintum iam annum in colloquium conveniant inter tempus aestatis semestre. Praeterea professor Görgemanns, cum scholae Frisingenses, quae dicuntur, haberentur, non modo orationem habuit Graece de philosophia M. Aureli sed etiam colloquium instituit Graece loquendi.



Lectores, ne mirentur hunc libellum Graece scriptum esse, sciant linguam Graecam et adhibitam esse et adhiberi ab eis, qui in studio et doctrina versentur. Neque licet usum talis linguae negligere, sed ita exercere debemus, ut sermo noster fiat vere Atticus. Quem sermonem cum adhibemus, scripta nostra intellegent omnes, qui aliquando linguam Graecam antiquam didicerunt. Legent porro hunc libellum et ii, qui inter seminarium institutioni Graece loquendi interfuerunt, et ii, quorum lingua Graeca interest. Qui quidem tantam linguae Graecae scientiam habent, ut Graece scripta sine summa difficultate intellegant.

Quid? Quod multi antiquarii cum linguas antiquas tum Graecam neque in scribendo neque in loquendo adhibent? Hi ante omnes utraque lingua utantur, quod, cum scripta legunt, quae ad interpretationem attinent, non modo scientiam habere debent multarum linguarum, quae nunc sunt in usu, sed etiam plures addiscere, quia rebus publicis a dominatione eorum, qui aequationem bonorum fieri volunt, in libertatem vindicatis etiam in civitatibus orientalibus nunc non pauci sunt, qui se palaeophilologos profitentur. Qui autem tot linguas discere volet, studio linguarum antiquarum non iam vacabit.



Deinceps videndum est, quid ii, qui linguis

hodiernis, quae dicuntur, studeant, de linguarum antiquarum studio cogitent. Eorum sunt, qui linguas antiquas dicere audeant non esse linguas, cum scientia linguae ex quattuor partibus constet: is, qui linguam callet, scit et scripta legere et eos intellegere, qui hac lingua utentes colloquuntur, et ipse hanc linguam in scribendo loquendoque adhibere. Quarum partium quod multi antiquarii soli primae student, in eo ipso, cuius profitentur scientiam, peccare eis videntur, qui hoc artificium sequuntur.

Deinde, cur linguae Graecae usus difficilior sit lingua Latina, exponetur: nam lingua Latina et facillor est et discipuli eam diligentius discunt neque facile colloquia fiunt cum eis, qui totam linguae Graecae grammaticam animo percursam non habent. Pronuntiatius quoque maioribus difficultatibus locutores afficit, ut, cum colloquiis Graecis primum adsunt, sententias vix intellegant.



Qua ratione et via homines tamen ad usum linguae Graecae adducantur, demonstrabitur. Imprimis id studendum est, ut ii, qui adsint, quam celerrime ipsi Graece loqui audeant. Praeterea multa lexica sunt adhibenda, quod magna pars cum vocabulorum tum formarum ignota est. Magister igitur adesse debet, quem tirones interrogent, ne multum tempus terant in lexicis inspiciendis. Elocutionesque in tabula inscribendae sunt, quo facilius in colloquiis adhibeantur. Ne diutius colloquantur tirones, ne fessi ad pigendum inducantur neve a colloquiis Graecis posthac fugiant. Ac brevibus sententiis initio est utendum neque prodest conari, ut Pater Caelestis dicere solet, statim rhetorissare.



Quod colloquia Graeca rarissime fiunt, debemus, cum otiosi sumus, domi aut linguae Graecae usum exercere aut saltem conari sic addiscere, ut proximo colloquio multo plura verba facere audeamus. Epistulas scribere Graece tabulasque conficere, in quibus exponitur, quid cottidie fecerimus, et iuvat et magnas affert utilitates. Hoc modo usum linguae Graecae exercemus. Et elocutiones sunt regerendae in schedulas, ut ipsi lexicon conscribamus, quod adhibeamus in colloquiis.

Postremo, quomodo lingua Graeca discenda sit, exponetur.

Sed nunc finis faciendus esse videtur Latine scribendi, ut verba Graeca ipsa legatis.

(...) Ἐὰ δὲ τοὺς ἐλληνίζοντας δεῖ ἀντιλέγειν, ταῦτα βούλομαι νυνὶ πρὸς ὑμᾶς εἰπεῖν¹. Ὅτι γε δὴ² ὑπὸ τι ἄτοπα³ λέγουσιν οἱ δυσκόλως διακείμενοι⁴ πρὸς τὸ χρῆσθαι τῇ Ἑλληνικῇ φωνῇ, τοῦτο δῆλον γίγνεται ἐκ τούδε· οἱ γὰρ σπουδάζοντες περὶ φωνᾶς τῶν νῦν διαμάχονται⁵ τοῦτον μόνον φωνῆς τινος ἔμπειρόν⁶ που εἶναι, ὃς πρῶτον μὲν συνίησι⁷ τὰ λεγόμενα, δεύτερον δ' ἔπίσταται⁹ ἀναγιγνώσκειν τὰ γεγραμμένα, ἔπειτα λόγους συντιθέναι¹⁰ χρώμενος ταύτῃ τῇ φωνῇ, ἔτι δ'¹¹ ἰέναι τὴν φωνήν. Οἱ δὲ

παλαιοφιλόλογοι, εἰ αὐτοῖς οὐκ ὑπάρχοι¹², τοῦτο ποιεῖν, φωνὰς ἀληθινὰς¹³ οὐκ ἂν δοκοῖεν ἐπιτηδεύειν, δοκοῖεν¹⁴ δὲ¹⁵ περὶ τῆς ἰδίου¹⁶ ἐπιστήμης δοξάζειν ἐπεικῶς μᾶλλον ἢ ἀκριβῶς ἐπίστασθαι¹⁷. καὶ μικροῦ δεῖν¹⁸ μὰ Δί¹⁹ οὐδέν γ' ἂν εἴη αὐτοῖς ἴδιον ἐπιτήδευμα²⁰ πρὸς τῷ ἀρχαίᾳ φωνᾷ ἅτε παριέσι²¹ τὴν παροιμίαν τὴν πεπλασμένην κατὰ τὸ²² τοῦ Κικέρωνος τὸ περὶ τῆς οἰκίας· 'φωνῆς τέρμα ἐστὶν ἢ χρῆσις'²³.

- 1 cf. D. 54,26.
2 cf. Pl. Smp 172C.
3 cf. Pl. Grg. 493C.
4 cf. Isoc. 3,5 (NC).
5 cf. Pl. Tht. 158D.
6 cf. D. Chr. 11,22.
7 cf. Pl. Prt. 325C.
8 cf. Plu. Dem. 17,1 ff.
9 cf. X. HG 6,1,15.
10 cf. Pl. R. 377B.
11 cf. Lys. 30,19.
12 cf. X. Cyr. 3,1,20.
13 cf. Pl. Tht. 176C.

- 14 cf. KG I 248,9.
15 cf. X. Mem. 1,1,1.; KG II 273,4a.
16 cf. Pl. R. 455B.
17 cf. Isoc. 10,5 (H).
18 cf. D. 18,269.
19 cf. Pl. Tht. 154A.
20 cf. Pl. R. 455B.
21 cf. Lys. 31,6.
22 cf. Pl. Ap. 34D; Pl. Phd. 72C; KG I 269b; ZLF II § 22e; BR § 147,3.
23 cf. CIC. off. 1,138 dicendum est etiam, qualem hominis honorati et principis domum placeat esse, cuius finis est usus.

DE EUGENIO CAUCHY (1802-1877) POETA LATINO,

CUIUS PULCHRA OPERA PROPONUNTUR P. 8-9, THEODORICUS SACRÉ HANC ADIUNGIT ADNOTATIONEM:



Aura romantica, quae litteras Europaeae paulo post saeculi duodevicesimi dodrantem commovit, Latinam quoque Camenam, licet multo post, elapsis centum fere annis, mulcere coepit. Nam Iohannes Pascolius (1855-1912) princeps dicitur fuisse poeta aevi romantici Latinus; qui inde ab anno circiter 1875 Musae Latinae condigne sese dedit. Mea vero sententia aura haec nova iam ante afflaverat Latine scribentibus. Huius sententiae testem unum hic attulivirum, Eugenium Cauchy nomine, Parisiis natum mense Octobri anno 1802, denatum mense Aprili anno 1877, eumque et iureconsultum et poetam. Hic enim compluribus muneribus publicis functus et, edito de iure maritimo libro, in socios Academiae disciplinarum moralium et politicarum Gallicae

relatus, cum Camenae indulgeret, uxorem, nepotulum, filium, filiam, suam ipsius familiolam potissimum cecinit versibus satis flebilibus, animi affectibus haud dissimulatis. Quos versus in duos congegessit libellulos, alterum de uxore amissa, alterum de Francisco nepotulo¹. Paucissima sunt in utroque volumine vituperanda (errores dico prosodiacos), multa dilaudanda; nam praeter animorum perturbationes optime depictas metrorum varietas insignis est et admiranda; praeterea versus Ovidiana facilitate praestant.

¹ Qui bimestris infans mense Septembri anno 1859 Parisiis in horto regio decepta nutrice furtim est abreptus a muliere quadam insaniente et post septem dies incolumis repertus in urbe Aurelianensi.

Cappadocia

*Tertium Iter Latinum praenuntiatur, quod fiet
in Asiam Minorem*



Iter incohabitur Ancyrae, quae hodie est rei publicae Turcae urbs caput. Quam antiquissimam urbem videntur condidisse Phryges. Alexander Magnus post nodum Gordium ruptum ea potitus est anno 334 a.C.n. Ab anno 278 a.C.n. Galli in Asiam Minorem invaserunt atque regionem circa Ancyram incoluerunt, quae tunc nomen Galatae accepit. Augusto imperante, regnum Galatae factum est provinia Romana. Multis splendidisque monumentis ornata est, quorum supersunt parietinae thermarum atque templi Romae et Augusti. Sub vetere arce

instructum est praestantissimum museum cultuum Asiae Minoris, ubi praesertim exhibentur Hethaeorum vestigia. Multa ergo in hac urbe sunt visu digna.

Invisendum etiam est mausoleum Patris Turciae modernae (v. Ataturk) quod Turci vocant Magnum Sepulcrum (v. Anit Kabir).

Ex Galatia iter fiet in intimum Hethaeorum regnum ubi Hattusas, olim regni oppidum caput, praecipue invisetur.

Inde iter pergetur per Pontum et Amasiam, quae aetate Hellenistica fuit Ponti urbs caput atque ubi natus est Strabo, ille famosus geographus.

Postea transibitur in Cappadociam, cuius urbs praecipua antiquitus fuit Caesarea (v. Kayseri). Non solum prospectus Cappadociae sunt vere singulares, sed multis in vallibus aetate Byzantina domus, ecclesiae, sacella sepulcraque in saxis fossa sunt mirumque in modum ornata picturis, quarum exemplum in prima pagina exhibetur.

Haec paucissima de ipso circuito.

Altitudo regionum invisendarum ad minimum est 800 metrorum; aer ibi est siccus; inde fit ut calor aestivus sit vere tolerabilis.

Participes aeroplano Ancyram petent, sive singuli suo Marte e sua quisque regione, sive Bruxellis una cum Melissa curatoribus.

Erit iter octo vel novem dierum exeunte mense Iulio et ineunte mense Augusto anno 1994.



Hattusas - porta leonum

Hoc iter ea de causa iam nunc nuntiamus, quod et ordinatio et pretium pendent a numero participum.

Quare comiter rogamus ut ei, quibus propositum placet, nos certiores faciant. Quae monitio nullo modo erit obligatio participandi, sed indicium quo adiuti pretium condicionesque itineris nuntiare possimus.

LATINE LOQUI..



UBI CONDISCATUR

SEMINARIA LATINA

Societas Latina (Universität des Saarlandes, FR. 6.3, D-6600 Saarbrücken 11) hoc anno duo seminaria instituet, quae Dr P.C. Eichenseer suo iucundo more moderabitur. Invitantur et tirones, qui linguae Latinae vivum usum discere cupiunt, et peritiores qui eum exercent:

25-31 mensis Iulii a. 1993 Morsaci (Morschach) in Helvetia

Interroganda est: Erica ROTH

Aeschistrasse, 6

CH-3110 MUNSINGEN

6-13 mensis Augusti a. 1993 Vavriae (Wavre) in Belgica

Interrogandus est: Gaius LICOPPE

Avenue de Tervueren, 76

B-1040 BRUXELLES

LATINE LOQUI - ROMANE COQUERE

Colloquia Latina, coquinam Romanam, ludos: hae discipulis aliisque Latinistis proponunt iuvenes moderatores. Duae fient Septimanae Latinae:

22-28 mensis Augusti a. 1993 Amoeneburgi (Amöneburg) in Germania

24-30 mensis Iulii a. 1993 Lugduni (Lyon) in Francogallia

Interrogandus est: Robertus MAIER

Dresdener Strasse, 10

D-6000 FRANKFURT AM MAIN

Idem moderatores proponunt

COMMERCIUM EPISTULARUM LATINUM EUROPAEUM

quo communicationem et amicitiam inter homines diversarum nationum adiuvant. Iam plus 600 discipuli, studiosi, magistri alique ex toto orbe terrarum participant. Si res vestra interest, ad

Robertum MAIER


Dresdener Strasse, 10

D-6000 FRANKFURT AM MAIN

vestrum mittite curriculum vitae: quot annos nati sitis,

num sitis discipuli, studiosi, magistri,

quae sint vestra studia et oblectamenta.



SEMINARIUM HAGENSE

Acroases, colloquia Latina et Graeca, musica. Huius seminarii praecipuum argumentum pertinebit ad Nederlandicos scriptores Latinos.

8-12 mensis Augusti a. 1993 Hagae Comitum (Den Haag) in Nederlandia

Interrogandus est: Marius Alexa

Burgstrasse, 3

D-4712 WERNE

FERIAE LATINAE

A Dre P.S. Siedel institutae. Proponuntur colloquia, acroases, liturgiae Latinae. Hoc anno fient:

17-23 mensis Iulii Tiniis (Tainach/Tinje) in Carinthia

Interrogandus est: Felix W. Kucher

Sodalitas

A-9121 TAINACH/TINJE

22-29 mensis Augusti Nicaeae in Francogallia

Interrogandus est: Clemens DESESSARD, Résidence des Collines, C.9

500 rue Léo Brun

F-06210 MANDELIEU